


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/



Lh 9.598



Harvard College Library

FROM

By Exchange

leon/

Sh 9.598

HORATIANA

SEU

CRITICA RATIO, QUA LEHRSIUS IN HORATI ALIQUOT CARMINIBUS USUS EST, ILLUSTRATUR ET EXAMINATUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXX. MENSIS JULII A. MDCCCLXXV

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

PETRUS RODER,


RHENANUS.

MARBURGI CATTORUM.

TYPIS C. L. PFEILII.

MDCCCLXXV.

Sh 9.598



By Exchange

V. D. CL.

JOSEPHO SAVELSBERG

GYMNASII AQUISGRANENSIS PROFESSORI

CARISSIMO SUO PRAECEPTORI

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

S. E. V.

SCRIPTOR.

Verum invenire volumus, non tamquam adversarium aliquem convincere.
Cic. de fin. 1, 5, 13.

I. PROOEMIUM.

Explicandis et existimandis Horati carminibus lyricis operam navantes viri docti cum iam per aliquantum temporis spatium in partes perquam diversas discedebant, tum etiam nostra aetate inter se vehementissime dissentiunt acerbissimeque saepenumero pugnant. Ac primum quidem, ut ad eas, quae maxime inter se sunt oppositae, carminum illustrandorum aestimandorumque rationes animum attendamus, ante Peerlkampii tempora plerumque poeta ille in lectorum animis tantam excitabat admirationem, ut virtutum eius laudandarum ac celebrandarum officio vix posse satis facere sibi viderentur. Admirationis autem sensu praeoccupati, dulci verborum sono facilique metrorum flumine sopiti interpretes laudes, quas, studiosissime in commentariis adnotantes „carmen excelsissimum", „sublime", „versus generosi", „pereleganter dictum", multis quidem carminibus suo iure tribuebant, fere nulli detrahendas esse censebant, sed difficultates vitiaque haud raro inter admirandum plane neglegebant vel excusabant vel de industria mittebant. De quibus ipsis Bernhardyus verum hoc nobis videtur fecisse iudicium: „Sie waren, inquit, voll des Enthusiasmus, aber arm an Gedanken, deren Dürftigkeit sie hinter reichen Parallelen versteckten: sie waren gewohnt, die Schwierig-

keiten und Schwächen zu verschweigen, und zum Theil wurden solche nicht einmal geahnt*)."

Quorum vestigia secutos usque ad hunc diem, maxime in scholis nostris, multos observari licet interpretes, qui singulari quadam Horati veneratione capti ac plane devincti, quaecunque Horatiana feruntur, ab omni parte egregie et perfecte composita putant; nec quidquam antiquius habent, quam ut, quae vitia deprehendantur offensionesque, et verbis et scriptis aut acerrimo ardentissimoque studio defendant, aut, quae vitiosa et vituperanda omnino excusari nequeant, in his indulgentes, coniventes, persaepe nescientes taceant.

Nihil autem rerum naturae magis est consentaneum, quam eiusmodi studiis, quae levitatis fallaciaeque sint plena, multos viros acriore ingenio praeditos maxime offensos esse, ut viam diversam ingressi in studia plane contraria devenirent. Quem enim diligentius meditantem, sincere incorrupteque iudicantem fugiat, Horati sive tota carmina sive partes eorum multis, qualiacunque sunt, vitiis, difficultatibus offensionibusque laborare? Ac prospere quidem factum est, quod tandem viri doctissimi, quae sentiebant, libere professi severiores iudices Horatianis carminibus se praebuerunt et erroribus prorsus inveteratis ac latissime patentibus fortissime obstiterunt. Dicimus quidem iudices illos sagacissimos, quales sunt Peerlkampius, Linkerus, Schwenckius, Gruppius, Lehrsius, alii. Qui viri, magno ingenii acumine insignique doctrina excellentes, quanta cum vi dormitantes Flacci admiratores superstitiososque laudatores e sopore illo excitare conati sint, quis est qui nesciat? Quomodocunque enim de eorum arte critica per se spectata iudicaveris, hoc certe non negabis, tales criticos vitia sub Horati carminibus latentia diligenter quaesivisse, difficultates acute aperuisse, offensiones libere pronuntiasse itaque studiis Horatianis nova praecipuaque oblectamenta attulisse.

---

*) Cf. Grundriss der röm. Litt., 5. Bearb, 1872, p. 602, Anmerk. 451.

Jam vero, quamquam eos per summam qua sunt sagacitatem insignemque investigandorum vitiorum facultatem ad Horati carmina diligentius perlustranda et rectius existimanda plurimum contulisse concedimus, attamen hoc quidem quaerendum esse nobis videtur, num viros illos in horum sententiis verbisque constituendis sine dubio sequamur. In qua quidem quaestione solvenda multae iam nobis moventur dubitationes considerantibus ipsam indolem naturamque criticae rationis ab illis adhibitae, plures etiam animo reputantibus, quae ex hac ad carmina recensenda deducantur quaeque boni Flacci inde oriantur horribilia fata. Hanc enim sequuntur criticam rationem, ut Horatium poetam excellentissimum et omnibus numeris absolutum nisi prorsus absoluta perfectaque non scripsisse sibi persuadentes permulta vulgo Horatiana, quippe quae putent inepta, absurda, denique aliena a tali poeta, qualem ipsi animo conformarunt, non ostendant ab Horatio minus apte composita esse, sed omnino non scripta demonstrare conentur. Codicum autem nullam paene curam gerentes, sed solum ad ipsorum sensum provocantes, singulas voces locutionesque, versus, strophas, carmina tradita condemnant saepe ob nullam aliam causam, nisi quod illa non satis pulchra, venusta, ingeniosa censenda sint. Quibus rationibus, quae dicuntur, philosophicis imprimis usus Gruppius*), eius modi criticorum facile audacissimus, eo delabitur, ut ab Horatio triginta fere carmina abiudicet, ingentem versuum „subditiciorum“ copiam deleat cet. Lehrsius, vir de literis antiquis maxime meritus, cautius agendo in editione Horatii**) hoc assequitur, ut poetae duodecim carmina auferat, quae cum ceteris strophis quas putat subditiciis efficiunt circiter centum quinquaginta strophas seu sexcentos versus; praeterea viginti quinque fere strophas sive centum versus periisse conicit, atque multos alios versus mutilat.

*) Cf. „Minos“, Leipz. 1859; „Aeacus“, Berl. 1872.

**) Cf. Q. Horatius Flacc., mit vorzugsweiser Rücksicht auf die unechten Stellen, Leipz. 1869.

Male autem et perverse ingentes fructus huiusce critices percipiunt, qui ridendo eam aspernantur seu ignorando fugiunt seu castigando*) expediunt. Etenim magnam illam utilitatem, quam quidem ex hac carminum Horatii, ut Ciceronis verbis utamur, „securi Tenedia“ tractandorum ratione efflorescere posse et effloruisse significavimus, ad studia Horatiana non redundare perspicuum est, si silentio praetermittantur et neglegantur multae difficultates et offensiones, quas acutissimi et audacissimi illi iudices deprehensas proposuerunt. Contra ea aequiorem videtur nobis tulisse sententiam Bernhardyus**), qui, postquam Lehrsi editionem Horatianam breviter recensuit, adhortando adicit: „Also ein reicher Stoff zum Nachdenken, wenn auch nicht zur Nachfolge.“

Nos igitur, dissertationem scripturi, pro nostra parte, quae Lehrsium ad quaedam Horati carmina mutanda vel condemnenda adduxerint, quam diligentissime, sine ira et studio, illustrare et examinare animum induximus, sperantes quidem, difficultati materiae tractandae respondentem ac convenientem nobis futuram esse veniam.

Priusquam autem ad rem propositam persequendam transgrediamur, haud alienum existimamus, de hypercriticorum, quales iam appellari liceat, ratione quadam in unoquoque fere carmine ab illis perlustrato monenda generatim praemittere, quae quidem praemonita singulis locis, de quibus cum Lehrsio disputationem instituemus, praetermittere liceat. Quae vero in hac dissertationis parte generali in medium proferemus, magis adumbrabimus quam explanabimus.

---

*) Conferantur, quae contra Lehrsium vehementissime disputata sunt in ann. Heidelbergg. 1870, p. 201 sqq. Sane quidem facilius est, in criticum invehi, quam eum refellere.

**) l. c. p. 603.

II. PARS GENERALIS.

De hypercriticorum Horatianorum ratione quaedam generatim monentur.

Qui in hypercriticorum rationem, qualem in diiudicanda carminum Horati indole genuina sequuntur, sine ira et studio accuratius inquisiverit, hanc non certis finibus circumscriptam fatebitur, sed admodum esse arbitrariam. Est quidem illa dubitationis, suspicionis, offensionisque plena, primum quod ad ea, quae sint proprie Horatiana, metienda valde incerto futilique utuntur modulo, deinde quod in interpolationibus statuendis vehementissimo gravissimoque modo confligunt cum manuscriptorum fide, cum veterum scriptorum testimoniis, denique cum historica probabilitate; quod quidem iudicium paucis explanare et confirmare liceat.

1°. Haud raro quidem in carminibus Horati perlustrandis hypercritici offenduntur, quod in illis deprehendantur vitia, quae dicuntur metrica, grammatica, logica. Ac profecto parum videat, qui haec indigna esse contendat, quae a critico in diligentissimam vocentur disceptationem, nec talia esse, quae vel certissima praebeant indicia corruptelarum et interpolationum. Quis enim, ut exemplum afferamus, a praeceptis logicis Horatium tam longe aberrasse crediderit, ut in eodem carmine sibimet ipsi contradixerit? Quae igitur in hoc genere occurrent, de his quam accuratissime et studiosissime postea in re proposita persequenda singulis locis disputabimus. Saepissime autem evenit, ut hypercritici in interpolationibus indagandis plane ducantur rationibus quae dicuntur aestheticis. Posse enim, quae vere Horatio

assignanda sint, semper et ubique metiri sibi videntur ad summam quandam, quam fingunt, elegantiam, venustatem, denique absolutionem. Atque hinc illae lacrimae! Hinc quidem haud minime fit, ut ex ipsorum arbitrio sensuque carmina fingendo, constituendo, plerumque dilacerando ex Horatio prorsus faciant „stragem“ tristissimam ac tantam, ut O. Kellerus, illustrissimus Horatii editor, Flaccum suum defendens haud iniuria contra hypercriticos venustissima lepidissimaque illa convertat Goethii verba*):

„Schneidet, schneidet, ihr Herrn! durch Schneiden lernet der Schüler;
Aber wehe dem Frosch, der euch die Schenkel muss leihn.“

At vero attende, eiusmodi criticam aestheticam libere qui factitant, in quot quantasque incidant dubitationes, difficultates, obstacula. Ac primum quidem ab iis, qui Horati ingenium nisi specimina summae absolutionis edidisse asserendo arti suae subicere conantur fundamentum quoddam, iure ac merito postulari debet, ut ad hanc de poeta opinionem comprobandam certa afferant argumenta. Atqui haec, quippe quae nisi ex Horati carminibus ipsis depromi non possint, omnino afferri nequeunt, unde facillime efficitur, illam de Horatio sententiam omni vi carere et criticam in hac collocatam facile labi ac corruere. At Horatii, obiciunt illi, mnlta existunt carmina dulcissima et venustissima; quae igitur cetera pari vel simili elegantia et perfectione carent, subditicia censenda sunt. Sed ne hoc quidem argumentum probari potest. Ad egregia enim et praestantia carmina qui omnium indolem genuinam metiuntur et experiuntur, nobis quidem viam ingredi videntur lubricam, incertam, suspectam. Qui non attendunt, a poetis vel optimis interdum etiam versus non ita praestabiles ac minus insignes nasci, id quod Horatius ipse cum aliis locis significat, tum satir. 1, 10, 51 sq.:

---

*) Cf. mus. Rhen. XIX. 1864.

Age, quaeso,
Tu nihil in magno doctus reprendis Homero*)?

Neglegunt illi, — quae diligentissime in poeta lyrico quaerenda sunt — quam multum referat, quanam vitae aetate diversa carmina componantur, qua occasione seu qua causa poeta ad carmen condendum moveatur, quali ex animi condicione singula carmina efflorescant, denique quale argumentum singulis locis poeta tractandum suscipiat, cum quidem idem ingenium non ad omnes res canendas aeque sit idoneum.

Jam vero hypercritici, praeterquam quod ab eodem poeta Horatio carmina elegantia pretioque valde inter se imparia proficisci potuisse non satis animo reputant, ad ea, quae Horatiana forte minus egregia ac leviora occurrunt, recte et aeque diiudicanda critico animadvertendum esse neglegunt, quam caute prudenterque omnino carminum pretium existimandum taxandumque sit, quod pretium facile falso aestimari potest. Audiatur hoc loco iterum Horatius ipse:

„Non omnes eadem mirantur amantque**)."

Summi autem est momenti, quod multis in rebus veteres plane aliter senserunt, quam nostrae aetatis homines sentiunt, ut quae illis satis trita, pulchra, lepida visa sint, nunc quidem haud raro prorsus inepta, ridicula, frigida dicantur. Ac maxime quidem quin inter nostrorum temporum grammaticorum seu philologorum doctissimorum et antiqui poetae lyrici sentiendi, fingendi, loquendi rationem summum persaepe intercedat discrimen fieri non potest.

Denique contra hypercriticos, qui Horatium poetam quodammodo omnibus numeris absolutum fingentes multa

---

*) Conferantur etiam verba Quintiliani in institt. orat. lib. 10, 1, 24: „Neque id statim legenti persuasum sit, omnia, quae optimi auctores dixerint, utique esse perfecta. Nam et labuntur aliquando et oneri cedunt et indulgent ingeniorum suorum voluptati nec semper intendunt animum, nonnunquam fatigantur, cum Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio vero etiam Homerus ipse videatur."

**) Cf. epist. 2, 2, 58.

condemnant, quae ipsis non satis rotunda ac perfecta videantur, etiam haec breviter moneamus. A summa absolutione interdum abesse poetam, quem studiis rhetoricis operam navasse, quem permulta non ex ipsius ingenio facile procreando et fundendo, sed exemplaria Graeca diligenter sequendo laborioseque imitando composuisse, quem ipsum, nimia quidem interdum modestia ductum, se parvo tenuique ingenio poetico esse persaepe fateri novimus, certe non est quod tantopere miremur.

Quae cum ita sint, prorsus ab iis dissentiendum esse censemus, qui in Horatio existimando eiusque carminum indole genuina diiudicanda optima poemata eligunt itaque forsitan perfectum, non verum Horatium restituunt. Ac multo quidem rectius fecisse opinamur viros doctissimos, qui, universa carminum traditorum conformatione considerata, Horatium non in perfectissimorum poetarum numero habendum censent. Praeter multos hoc loco laudemus Teuffelium, virum de studiis Horatianis optime meritum, qui contra hypercriticos sic disputat: „Horaz ist nun einmal in Gottes Namen nicht der Lyriker ersten Ranges, der allenthalben und jederzeit nur Vollkommenes und Untadeliges hervorgebracht hätte, wie es der Willkür und dem Vorurtheil beliebt zu behaupten, dem eigenen Urtheil des Horaz und allem Augenschein zum Trotze*).“

2°. Altero loco supra ad hypercrisin in suspicionem adducendam eos, qui hanc factitent, vehementissima gravissimaque ratione confligere monuimus cum manuscriptorum Horatianorum fide, cum veterum scriptorum testimoniis, denique cum historica probabilitate.

Quoniam enim verum Horatium hypercritici plane alium eumque meliorem et perfectiorem fuisse, quam qualis nunc quidem in membranis conspiciatur, pro certo habent, quae carminum traditorum tali poeta Horatio haud dubie digna

---

*) Cf. mus. Rhen. XXVI, 1871, p. 349.

iudicari debeant, libere divinando coniciendoquo eruere conantur. Qua quidem in re persequenda suum ipsorum potissimum secuti sensum gustumque cum tam multa ab Horatio aliena cognoscant, insigni miroque modo manuscriptos facere non possunt quin statuant corruptos esse. Itaque in carminibus constituendis quodammodo eo procedunt, ut plerumque auctoritati membranarum Horatianarum, quippe quas tam ingentibus interpolationibus abundare corruptelisque laborare putent, propre nihil tribuant, paene omnia permittant ingeniis criticorum conicientibus. Quam opinionem se probatam sequi — ac rebus postea verba largissime confirmantur — Lehrsius in praefatione editioni Horatii*) praemissa pronuntiare non dubitat. Perstringit enim eos, qui traditis verbis aliquantum tribuunt, non distinguens inter criticos, qui ne litteram quidem in lectionibus mutilandam et qui prudenter cauteque scripturas reiciendas censent, ita ut omnes irrideantur, qui non cum ipso Horati carmina utrum genuina an subditicia sint, ad sanam quandam, quam statuit, mentem, i. e. proprie ad criticorum singulorum arbitrium experiantur. Ac digna eius sunt verba, quae hoc loco laudentur: „Dass der gesunde Menschenverstand, inquit, sich zu richten habe nach der Ueberlieferung, nicht die Ueberlieferung ihr Urtheil zu erwarten habe aus dem gesunden Menschenverstande, nach dieser Norm ist zwar von jeher in der Kritik in ziemlicher Breite gehandelt worden, und breiter wol nirgend, aus alter lieber Gewohnheit und pädagogischer Herzensangst, als im Horaz. Dass aber solche menschliche Schwachheit formulirt wird als die rechte Weisheit, das geschah wol erst in neuerer Zeit. Die Erscheinungen, welche daraus hervorgingen, konnten nicht anders sich gestalten als erheiternd. Und so sind sie denn auch, jene Kleinbürger der Ueberlieferung, wenn sie ihre trockene Ueberlieferung mit der vornehm gemachten Etiquette 'Methode' (denn Schematismus ist es ja oder Scha-

*) Cf. p. V. sqq.

blone) unter grossem Wichtigthun, auch wol, wenn's trifft, unter charlatanischem Ausruf als Universalmittel von Hand zu Hand verbreiten. Und in der Gebrauchsanweisung liesst man unterstrichen 'objective Kritik'" . . . .

At vero nos quidem non perspicimus, quomodo eiusmodi contemptionem odiumque codicum hypercritici comprobare et confirmare possint. Certe nemo offenderetur, si iusta probabilique ratione illi multitudinem interpolationum corruptelarumque, quas volunt, valerent explicare. Harum autem explicandarum rationem, qualem hypercritici artem suam adhibendo non possunt non sequi, breviter nostris quidem sententiis verbisque illustremus. „Ac sane quidem codices qui supersunt Horatiani", ut criticos illos quodammodo ipsos loquentes inducamus, „si de carminum contextu agitur, saltem in rebus principalibus inter se consentiunt; haec autem res non tantopere est premenda, etsi in universum quidem in operibus scriptorum recensendis plurimum valet manuscriptorum consensus. Ex quo in Horatio colligi licet, iam archetypum magnis illis interpolationibus fuisse inquinatum. Amplius autem in interpolationum originem inquirentes iam scholiastarum temporibus omnino eundem extitisse deprehendimus carminum numerum et contextum; ac multi grammatici iis tempore antecedentes, quin etiam Quintilianus, eundem Horatium videntur legisse. Sequitur igitur, illos quoque viros deceptos ne hilum quidem iam verum Horatium cognovisse atque — id quod hoc loco maxime animadvertendum est — iam sub finem saeculi primi p. Chr. n. per aliquantum temporis in universum magnam illam corruptionem Horati carmina occupasse. Quare ad prima vere decennia Augusti mortem sequentia pervenientes ad interpolationes corruptelasque explicandas recte conicere nobis videmur, haud ita multum post Horati obitum, quoniam ipsum carmina interpolationibus corrumpi non passum appareat, hisce mutandis, disiciendis, dilacerandis, augendis in scholis, in quibus poeta lectitatus sit, multos Romanos operam navasse itaque carmina plane perturbasse." Quamquam eiusmodi

ratione paucas quidem strophas subditicias in carmina facile irrepere et modicum fortasse numerum interpolationum explicari licere — id quod moderatiores critici, praeter alios nuper S. Heynemannus*), facere conati sunt — non est quod prorsus negemus, attamen quomodo et quo iure inde hypercritici, quibuscum disputamus, rem suam expediant et planam probatamque reddant, intelligi nequit. Certe quidem illa opinio seu mera coniectura de crebra violentaque mutatione et perturbatione, quam eiusmodi interpolatores diligentissimi carminibus Horatii intulisse putantur, non tam probabilis est nec tantum ad persuadendum valet, ut confidenter libereque quam maximis corruptelis ex eiusmodi origine incerta obscuraque repetitis ex ipsorum ingeniis critici carmina debeant restituere. Nam, ut pauca contra dicamus, prorsus mirandum est, quod de tristissimis illis Horatii „disiecti“ fatis testes poematum Horatianorum supra significati nihil cognoverint; mirum est, quod interpolatores temporibus quidem testium illorum aetati antecedentibus tot fuerint, cum postea omnino non extiterint; videre non licet, quomodo tam maturo tamque brevi tempore boni verique libri Horatiani interpolatorum corruptis oppressi plane evanescere potuerint, quomodo — si quidem m u l t i stropharum subditiciarum fuerunt auctores — in unum illum librum (archetypum), ex quo carminum seu stropharum numerus haud ita multum post accurate descriptus etiam nostra aetate vulgatus circumfertur, tam multa aliena a tot hominibus composita irrepserint; si autem ad hanc difficultatem tollendam asserunt, e multis libris Horatianis primo saeculo post Chr. n. divulgatis unum a viro nescio quo conscriptum esse, qui genuina a subditiciis non satis distingueret, profecto hominem statuunt, qui miserrimam recensionem fecerit, ac talem quidem, qualem aequales, imprimis viri eruditi, non secuti meliores Horatios sibi servaturi fuissent.

---

*) De interpolationibus in carminibus Horatii certa ratione diiudicandis. Diss. Bonn. 1871.

Adde quod, etiamsi interpolatores illos sua Horatianis inseruisse concederetur, tamen cum alia tum multae lacunae, quas statuit Lehrsius, et singulorum locorum ingens crebraque corruptio, quam vult, nequaquam satis explicantur.

Sed ne in his contra hypercrisin movendis difficultatibus, quae quidem omnino superari nequeunt, diutius immoremur, hoc optimo iure miramur, quo modo, illam qui probatam amplectantur, aliquatenus se unquam carmina Horatii restituturos esse possint sperare. Quos aut „acumine consilioque ingenii omnia, quae respicienda sunt, perscrutantis et coniungentis *)" ornatos esse, — tales autem non existant — aut laborem quendam Sisyphi vel Danaidum subire recte statuitur.

Quae cum ita sint, facere non possumus quin plane nostram faciamus sententiam acutissimi illius critici Madvigii. Qui immoderatam sagacitatem, qua nostra aetate viri nonnulli antiquitatis quosdam scriptores, in iis Horatium, laniarint, vituperando cum alia tum haec monet**): „Ego si ita in scriptorum veterum operibus refingendis et amplificandis interpolatorum licentiam grassatam esse et grassari potuisse crederem, omnem eorum contextus constituendi conatum abiciendum putarem."

Atque haec interim satis sit de hypercriticorum ratione in Horatii carminibus adhibita generatim praemonuisse.

Jam vero in eo est, ut ad propositum transgressi quam diligentissime et studiosissime anquiramus, quo iure Lehrsius carmina aliquot mutilaverit et condemnaverit.

---

*) Cf. Lehrs. l. c. praefat. p. 9.

**) Cf. adversaria critica, Hauniae 1871, lib. I. p. 93; confer praeterea l. VI. cap. 2, p. 50.

III. PARS SPECIALIS.

De nonnullis carminibus Horatianis a Lehrsio mutilatis et condemnatis.

In omni commentatione quoniam est summi momenti, singula suo loco tractari et ad certum consilium omnia revocari, hunc nobis sequi libet scribendi ordinem:

A minoribus levioribusque ad maiora gravioraque ascendentes illustrabimus et examinabimus criticam rationem, qua usus Lehrsius carminum, qualia sunt tradita, conformationem mutavit:

1° singulis vocibus codicum eiciendis suisque ipsius substituendis;

2° carminibus dilacerandis:

sive a) strophis damnandis,

sive b) lacunis statuendis;

3° totis carminibus delendis.

Hac quidem materiae tractandae partitione adhibita simul fieri poterit, ut aliquo modo universae critices Lehrsianae existat imago; praeterea etiam multas repetitiones evitare licebit. Jam igitur ad singulas illius distributionis partes deinceps pertexendas accedamus.

1. De singulis quibusdam locis a Lehrsio mutatis.

Carm. I,8.

V. 4:

„Oderit campum“ . . . . . .

„Oderit“ mutavit L. in „odit et“, ad quam scripturam commendandam hoc utitur genere demonstrandi: „Die Ueber-

lieferung in V. 4 cur oderit . . . . ist unmöglich: Sage warum du eilst, ihn zu verderben, warum er den Campus meide. — Natürlich aus Liebe. Das ist ja schon beantwortet. Mit cur apricum geht schon die Reihe der direkten Fragen an wie sie fortgesetzt wird. Ich habe geschrieben cur odit et campum.“ Quibus in verbis, si quidem recte intellegimus, persuadendi vis deprehenditur omnino nulla. Cur enim interrogatio directa hoc loco praeferenda sit obliquae, illa argumentatione nobis quidem non probatur, quoniam, utracunque statuitur, eandem Lydiam eandem rem interrogat poeta et Lydiae idem respondendum fuit, quamquam eiusmodi responsionem, si de verborum sententia agitur, plane ignorandam et neglegendam esse censemus. Sensus igitur manet idem. In quo solo cum offendat, L. omni mutatione supersedere potuit, praesertim cum ipsa „emendatio“, quam vult „cur apricum odit et“ . . . . offensione laboret; etenim certe mira est coniunctio illa „et“, ad quam illustrandam et comprobandam ne verbum quidem criticus afferendum duxit. Ceterum iis assentimur, qui in hoc carmine, cuius multis locis manuscriptos inter indicativum et coniunctivum discrepare constat, inde a versu quinto indicativum legunt, ne oratione obliqua diu continuata, quippe a qua carmina lyrica in universum abhorreant, orationis flumen nimis impediatur et perturbetur. Neque enim difficile in hac carminis parte formae indicativi, quoniam cum coniunctivo, metro non obstante, facillime a librariis confundi potuerunt, a criticis restituuntur, cum, quid pro „oderit“, quod sane aliquo modo languidum esse videtur, scribendum sit, frustra inquiratur.

I,16.

V. 8:

„Si geminant Corybantes“ . . . .

Codicum plurimi et optimi*) exhibent „sic“, quod in contextum receperunt Peerlkampius**), Ritterus***) aliique;

*) Conf. Q. Hor. opp. rec. O. Keller et A. Holder Lips. 1864.

**) Q. Hor. Flacc. carmina ex recens. P. Hofm. Peerlkampii Harlem. 1834.

***) Q. Hor. Fl. ed. Fr. Ritter, Lips. 1846.

perquam pauci „si", quod iam Bentleius*) coniecerat et a plerisque legi videmus. L. autem neutro contentus ad ingenium confugit: „Es wird, inquit, erfordert qui. Dies habe ich geschrieben" (l. c. p. 53). Sane „qui" bene quadrat, sed cur haec lectio a codicibus recedens recipienda sit, intellegi nequit; non enim L. explanat, quibus nam rationibus „qui scribere, reicere cogatur scripturas traditas. Nostra autem sententia Lehrsi emendatione non opus est, cum altera traditarum lectionem „si" et „sic" satis apta sit. Ac legendum quidem „si"; nulla enim offensio videtur inesse in poetae sententia: „Non Corybantes, si aerea tympana pulsant, hominum mentem aeque quatiunt ac tristes irae." Si vero „sic" scribitur, „nulla alia, ut Bentleii verbis utamur, esse potest constructio praeterquam haec: Corybantes non sic geminant acuta aera, ut tristes irae geminant acuta aera; quod ineptum est et plane *ἀνακόλουθον*." Ac mirum in modum Ritterus, qui „sic" recepit, hoc explicat: „Non tanto cum strepitu, quanto ira facit" (scil. Corybantes aera geminant). Ceterum primo obtutu apparet, „si" ab Horatio scriptum facile in „sic" mutari potuisse, cum „si" coniunctionem sequatur „geminant" verbum littera gutturali incipiens et quod, ut Bentleius adnotat, „putarunt boni librarii esse debere, cui *τὸ* ut in sequenti versu respondeat".

I,25.

Lectionem vulgatam:

. . . . . „Amatque
Janua limen
Quae prius multum facilis movebat
Cardines. Audis minus . . . . . .

Lehrsius (l. c. p. 55) in contextum recepit hac ratione mutatam:

---

*) Q. Hor. Fl., ex recens. et cum notis . . . . . . Rich. Bentleii, Lips. 1764.

. . . . . „Amatque
Janua limen.
Quae prius nulli facilis movebas
Cardines, audis minus“ . . . .

Arbitrariam autem hanc mutationem, qua criticus „quae“ relativo non „ianua“ substantivum, sed „Lydia“ significatum vult ac pro „multum“ scribit „nulli“, distinctionis signis ceterorum editorum mutatis, his potissimum causis reiciendam censemus:

Primum efficitur sensus, qui, si carminis nexus spectatur, ferri nequit; etenim verisimile non est, Lydiam, quippe quae esset meretrix, qualem maxime ex poematis parte posteriore cognoscimus, omnino nulli amatori facilem portam aperuisse; ac Lydiae in omnes amatores duritiam eiusmodi eo minus Lehrsio statuere licet, quod fortasse Horatius potissimum ipse vel alius iuvenis cum eo aliquo modo coniunctus a meretrice illa superbe exclusus est, qua quidem repulsa iratus poeta ulciscendi causa Lydiam duram hoc carmine carpit et castigat. Praeterea „amatque ianua limen“ verba et altera parte „quae prius . . . . . movebat“ primo aspectu arctius coniuncta seu efficacius inter se opposita sunt („ianua amat limen“ — „multum movebat cardines“), quam ut Lehrsi ratione separari ac dirimi possint.

Neque vero ita difficile scriptura vulgata defendi potest contra Lehrsium monentem: „Es ist ja doch von einer Spröden die Rede, die dafür nun gestraft wird, weil sie die Liebhaber nicht leicht einliess.“ Quam sententiam L. plane fictam in carmen intulit. Nam versibus „amatque ianua limen Quae prius multum facilis movebat cardines“ nihil aliud poeta significat nisi hoc: Nunc domus tua paene deserta est, quam olim tam multi iuvenes te amaturi intrare solebant. Verba autem „quae prius multum facilis movebat cardines“ non ita quidem intellegere licet, quasi sermo sit de Lydia, quae omnibus amatoribus libentissime obsecuta portam aperuerit; etenim sane eiusmodi sententia nexum carminis, quo Lydiae duritia car-

patur, perturbari apparet. Cogitandum est potius cum de Lydia, quae certe, quamvis fuerit dura, aliquot amatoribus, quos quidem amare volebat, portam obseratam aperuit, tum de iuvenibus, qui, quandocunque porta non obserata erat, hanc ipsi aperire poterant itaque domum, meretricem amaturi, frequentes intrabant; in hos quoque iuvenes, qui domum iam intrarant, cum Lydiam se duram superbamque gerere potuisse manifestum sit, nostra explicatione probata, nulla iam, quae ex Lydiae duritia ('Sprödigkeit') oriatur, superest loci explicandi difficultas. Opponitur igitur ab Horatio ad meretricem perstringendam simplici modo praesentis temporis exiguus amatorum Lydiam visentium numerus magnae pristinorum copiae. Contra ea „quae prius...... movebat cardines" verba falso explicat Mitscherlichius adnotando: „Lydia proprie est facilis, quae commodam se praebet amatoribus, quae iis facile sui copiam facit"; quae sententia eo magis miranda est, quod in contrariam partem ille interpres de carminis versibus antecedentibus hoc fecerit iudicium: „Ceterum hac sententia de amatorum infrequentiae elocutione arrogantiam ac fastum Lydiae tangit, quo olim amatores excluserat."

2. De nonnullis carminibus a Lehrsio dilaceratis.

a) De strophis quibusdam damnatis.

Carm. I,2.

Str. 6:

„Audiet cives acuisse ferrum,
Quo graves Persae melius perirent,
Audiet pugnas vitio parentum
Rara inventus".

Ad hanc stropham eiciendam L. (aeque ac Peerlkampius) eo adducitur, quod poeta non dicat „cives contra cives ferrum acuerunt et bella inter se gesserunt" (l. c. p. 31.). Nemo quidem negare potest, duorum priorum versuum oppositionem non plane accuratam propriamque esse; qua re valde offensi nonnulli viri de emendatione cogitarunt: Luc. Muellerus (in ed. Hor.) scribit „cecidisse ferro", Jeepius*) pro „acuisse" „rapuisse" simulque „ferrum" locum subiecti tenere vult; alii aliter scribendum putant. Attamen quicunque integre iudicat, ne hoc quidem negare potest, primo obtutu luce clarius esse, quid illis versibus poeta indicare velit. Itaque nos fluctuamus, utrum emendandum an Horatium statuendum sit paululum peccasse; facile quidem fieri potest, ut hoc loco poeta, brevitatis amantissimus, officio satisfacere sibi visus sit adhibendo „cives" („Mitbürger", „solche, die unter einander Mitbürger waren"), quo sub-

---

*) Cf. Jahrb. f. class. Philol. 1870, p. 78.

stantivo mutuae Romanorum pugnae (civiles) satis significarentur, praesertim cum „civibus“ opponantur in versu insequenti Persae i. e. (exteriores) hostes. Ac certe emendationibus modo laudatis verbum „acuisse“ aliquo modo praeferendum est, quoniam, si illa ratione mutatur, versu primo et tertio idem dicitur, cum „acuisse“ pugnarum apparatum indicet*).

Utcunque autem de strophae conformatione iudicatur, delere eam non licet, cum non solum ad nexum sententiarum optime quadret, sed paene sit necessaria, quod quidem paucis exponamus. Totum carmen in duas partes dividitur**); altera parte poeta describit mala, quae in Romanos redundarunt, altera ut deus ab illis expians e caelo descendat, precatur talemque iam sub Augusti persona latentem venisse fingit. Inter calamitates referuntur primum tempestates, deinde inundatio Tiberis; tum autem in harum numero bene commemorari bella intestina, quis est quin videat? Neque solum apte, sed etiam artificiose ac prope necessarie nominantur. Quibus primum optimus fit transgressus ad partem carminis secundam. Etenim in bellis civilibus quaerenda est propria Romanorum culpa, quae poetae usque ad extremum carmen expianda obversatur: Cives igitur bellis perniciosis inter se gestis se inquinarunt; quis deorum, optime pergit, culpa eos liberabit?

„Quem vocet divum populus ruentis
Imperi rebus“? cet.
„Cui dabit partes scelus expiandi
Jupiter“? . . . . .

Haud facile autem insolitis in rerum naturae tumultibus solis populum commaculatum esse dixit Horatius, adeo ut ad expiationem impetrandam deos tam multos imploraret. Itaque, si stropha omissa contextum carminis Lehrsianum adoptaveris, non satis intelleges, quid in sequentibus strophis sibi velit magnus ille deorum numerus, non satis intelleges,

*) Cf. etiam quae Düntzerus ad stropham, qualis est tradita, defendendam disseruit: Jahrb. f. class. Phil. 1870, p. 853 sq.

**) Cf. Dillenburg. l. c. p. 37.

quid sibi velint verba tam gravia: „ruens imperium", „minus audiens Vesta", „scelus expiandi" cet. cet., quibus bellorum civilium commemoratione antecedente clarissima lux affunditur. Accedit quod Augustus, qui in carmine extremo tamquam Mercurius fingitur, si poeta de bellis civilibus nondum dixisset, quodammodo talis videretur, qui nisi sceleris tempestatibus solis et inundatione significati expiandi partes nullas susciperet, cum hic maxime ipsis bellis intestinis imponendo finem tamquam patriae parens civibus tranquillitatem salutemque reddiderit. Adde denique, quod etiam ceterae calamitates, si bella civilia non commemorantur, satis obscure a poeta sunt prolatae.

Ceterum adnotare operae pretium est, Lehrsium ipsum in decima carminis stropha „heu nimis longo" . . . . damnanda stropham, de qua egimus, tamquam genuinam ponere. Pagina enim tricesima quarta l. c. scripsit: „Mars soll ja eben kommen, um dem innern Blutvergiessen ein Ende zu machen, um Frieden zu bringen" . . . . . Nempe haec caedes intestina („inneres Blutvergiessen") nulla ex alia stropha cognosci potest, nisi ex antecedenti „audiet cives" . . . . . Lehrsius igitur sibimet ipsi aperte adversatur.

I,9.

Str. 3:

„Permitte divis cetera: qui simul
Stravere ventos aequore fervido
Deproeliantes, nec cupressi
Nec veteres agitantur orni".

„Nach dem Fortschritt, ait Lehrs., welchen die dritte Strophe des Gedichtes gab, war das Hauptgewicht gelegt auf den Winter als böse Jahreszeit, die man einigermassen durch den Wein vertreiben müsse, bis die Götter wieder die gute Zeit geben. Nach dem dagegen, was die vierte Strophe aufnimmt und fortführt, ist der Winter angenommen als eine willkommene Gelegenheit zum Geniessen, die man auf

das Schnellste ergreifen müsse, wie, unbekümmert was der morgende Tag noch gestatten werde, einen jeden Tag, der den Genuss gestattet, ausnutzen. Und vor Allem die Jugend, so lange die Zeit des Alters, der mancher Genuss versagt ist, noch nicht kam. — Also ist die dritte Strophe falsch. Sie muss entfernt werden" (l. c. p. 43.).

Aut fallimur aut ea, quae L. in quarta stropha contineri opinatur, omnino in hac non insunt. Qua poeta nequaquam hiemem fingit tamquam „occasionem acceptam praecipuamque voluptatis percipiendae seu vitae fruendae ideoque quam celerrime arripiendam." Videamus autem primum, quae in illa revera dicat Horatius, deinde, num haec quidem cum antecedentibus satis apte ab eo coniungantur.

Adhortatur primum poeta Thaliarchum, „ne curet hodie, quid futurum sit cras; noli, inquit, sollicitus esse, num huic diei dii adiecturi sint alium, immo alium venturum esse non exspectans, omnem diem, quem forte tibi donabunt, tamquam lucrum esse crede". Quae sententiae facile nobis videntur excuti e verbis:

„Quid sit futurum cras fuge quaerere et
Quem Fors dierum cunque dabit, lucro
Adpone."

Pergit deinde poeta, cum usque ad carminis finem iuvenem cohortetur, ut vitae voluptates percipiat, dum per aetatem ei liceat. Nos igitur verba „quem Fors dierum cunque dabit, lucro adpone" non intellegimus: qualescunque erunt, diebus fruere (Lehrs.: „ausnutzen"), sed rectius explicare nobis videmur: Omnem diem futurum, qui tibi dabitur, pro lucro habe, i. e. securus tempore praesenti fruere quasi iam alium diem fruendi venturum esse non putes. Ad quam huius loci explicationem illustrandam et comprobandam conferamus prorsus similem in Horat. epistt. 1, 4, 12 sqq.:

„Inter spem curamque, timores inter et iras
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum:
Grata superveniet quae non sperabitur hora".

Ad hos enim versus illustrandos G. Krueger, Horatii satirarum et epistolarum interpres, recte nobis videtur adnotasse*): „Geniesse die Gegenwart, erwarte von der Zukunft nichts (oder so wenig als möglich); jede Stunde, die uns dann zu Theil wird, erscheint als ein unerwartetes Gut (quidquid praeter spem eveniet, omne id deputabo esse in lucro. Ter. Phorm. 2, 3, 21.).“

Ex nostra igitur strophae quartae illustratione apparet, in illa deprehendi praecepta generalia, quibus Horatius Thaliarchum iuvenem ad vitam fruendam adhortetur, nec intellegimus, quo strophae verbo hiems, ut L. opinatur, tamquam „occasio accepta fruendi“ a poeta fingatur. Jam vero anquirendum est, quomodo haec stropha cum antecedentibus cohaereat. Ac nobis quidem conexus persimplex esse omnique offensione carere videtur. Tribus enim prioribus strophis Thaliarcho poeta suadet, ut „praesentis hiemis frigore in domo calefacta convivia instituat, cetera diis melius tempus reducere valentibus permittens“ (str. I—III.). Pergit deinde generalius: Omnino, inquit, securus rerumque futurarum non sollicitus vita fruere, dum tibi hoc per iuventutem etiam licet“ (str. IV—VI.). Ratio igitur inter duas carminis partes intercedens est haec: Horatius occasione praeceptorum specialium, quibus iuveni suadet, ut igne in foco reponendo conviviisque secure instituendis molestum hiemis frigidae tempus sibi reddat tolerabilius et iucundius (str. I—III.), simul utitur, ut addat etiam generalia praecepta Epicurea vitae maximeque iuventutis omnino fruendae (str. IV—VI.), id quod poetae eo facilius facere licuit, quod simul hisce admonitionibus generalibus specialem illam adhortationem optime confirmare efficacioremque non potest non reddere.

Quam rationem certe simplicissimam qui consideraverit, facillime sibi persuadebit, hiemem, ut L. putat, non modo

*) Cf. edit. Hor. satir. et epist., 1872, p. 209.

nusquam aptam occasionem fruendi ab Horatio vocari, sed prorsus e contrario conviviis animique hilaritate iuvenili mitigandam iucundioremque reddendam accipi.

I,10.

Str. 4:

„Quin et Atridas duce te superbos
Jlio dives Priamus relicto,
Thessalosque ignes et iniqua Troiae
Castra fefellit“.

„Die vierte Strophe quin et Atridas cet. ist ganz unmöglich. Diese Leistung des Mercurius, dass er den Priamus heimlich vor den Wächtern der Griechen zum Zelte des Achilles führte, gehört zu seinen alltäglichen und kann unmöglich als eine Steigerung eintreten nach dem Stückchen, womit er einen Gott getäuscht“. (Lehrs. l. c. p. 44.)

Suo iure L. in hac stropha tam vehementer offendere censemus, si revera contineat argumentum, quale criticus verbis modo laudatis significat. Etenim nobis quoque Mercurii dolus, qui a Lehrsio in quarta carminis stropha deprehenditur, non modo non maior fraude, quam poeta in tertia narrat, sed etiam multo inferior videtur dicendus esse. Quare Lehrsius recte fecit, quod offensionem libere pronuntiavit, cum permulti interpretes eodem sensu, quo L., stropham explicantes omnia plana putare nihilque vituperandum invenire videantur. Quorum interpretum in numero, ut paucorum mentionem faciamus, est Mitscherlichius*), qui ad stropham adnotat: „Mythicis iam historicum, ut ita dicam, sollertiae Mercurii exemplum poeta subtexit“; Düntzerus**), qui in stropha antecedenti „iocosam“, in quarta „probam“ cognoscit calliditatem; Ritterus***), qui distinguit inter Mercurii

*) Cf. l. c. tom. I. p. 117.
**) Q. Hor. Fl. opp., Brunsvig. 1849, p. 55.
***) cf. l. c. p. 45.

„artem furandi“ (str. 3.) et „fallendi (str. 4.) virtutem“; Nauckius*), qui rem expedire conatur explicando: „Und nicht bloss Einzelne (str. 3.), nein sogar die stolzen Atriden, die Wächter der Myrmidonen und das feindliche Lager hast du zu täuschen gewusst“.

Nobis quidem nullam fatemur harum explicationum aptam videri, qua Lehrsii offensio aliquo modo tollatur. Etiamsi autem in argumento, quale L. illique interpretes e stropha excutiunt, iure ac merito offendi putamus, nequaquam offendendum esse existimamus in argumento, quod nostra sententia proprie ac revera in illa stropha inest. Tantum enim abest, ut Horatius aliud idque maius specimen calliditatis Mercurii afferre, ut omnino novam adicere velit virtutem huius dei easque laudes, quae strophis antecedentibus dictae sint, numero augere. Celebratur quidem Mercurius ἡγεμόνιος et διάκτορος, qui homines in itineribus comitando et ducendo a periculis forte imminentibus defendit**). Nam primum iam eo, quod elegit exemplum Priami, qui, quamvis esset senex omniumque praeter Mercurii ope careret, in castra Graecorum periculosa longe ab urbe remota profectus est, satis perspicue manifesteque poeta significat, Mercurium debiles inopesque homines a periculis prohibentem laudare sibi in animo esse. Atque hoc quidem consilium strophae subiectum haud difficile ad cognoscendum est ex singulis strophae verbis, quibus animum poeta eius, qui legit, ad hanc dei virtutem convertit. Vocatur enim diserte Mercurius Priami „dux“ (ἡγεμόνιος, διάκτορος); nominantur Atridae „superbi“, a quorum superbia cum Priamo, si deprehendebatur, mala funestaque sors impenderet, verba „duce te“ egregie poeta posuit inter „Atridas“ et „superbos“. At vero, si de dolosa, ut praeter

*) cf. l. c. p. 36.

**) Eandem sententiam cum gaudio videmus Orellium (in edit. Hor. 1843 p. 64) sequi ad stropham adnotantem: „Atque idem deus tutor est hominum innoxiorum, ut Priamus ab eo custoditus noctu ad Achillem perrexit, ut Hectoris corpus redimeret“.

alios vult Lehrsius, sollertia ageretur Mercurii, poeta non diceret „superbos“, sed „dolosas“ Atridas vel tale quid, quoniam dei laus est propria, non superbos homines, sed dolosos vel callidos fallere (täuschen). Idem dicendum de „iniqua“ (indeque captivitatem turpem vel mortem terribilem minantia) „Troiae castra“. Nec minus significanter adhibitas esse facile apparet locutiones „dives“ (indeque praedonibus expilantibus, qualescunque erant, obnoxius) „Priamus“; „relicto Jlio“ (a suorum Priamus longe remotus erat tutela), „Thessalosque ignes“ i. e. excubiae Myrmidonum periculosae.

Facile quidem eum, qui stropham legit, fallere potest et multos interpretes fefellit illud Horatianum „fefellit“, quod in quarto strophae versu legitur. Quod verbum hoc loco idem significat, quod Graecum „ἔλαθεν“, er blieb verborgen, ungesehen, „latuit“ itaque „sospes effugit“ (er entkam unversehrt), quae quidem significatio etiam optime respondet significationi tutelae, quae in verbis „duce te“ latet, cum nequaquam „fefellit“ sensu „dolo fraudavit“ acceptum et „duce te“ proprie vereque inter se conjungi possint. Nobis autem plane persuasum est, Horatium minime timuisse, ne primo aspectu lectores se hoc verbo usum non intellegerent; nec nostro tempore quemquam cum in verbo nostra ratione accipiendo tum in tota stropha intellegenda haesurum esse, qui accuratius consideraverit Mercurium, qualis conspiciatur in fabula illa de Priamo narrata in Jliad. lib. XXIV. vv. 334—367. In qua narratione Homeri, totius rei auctoris fontisque, de calliditate Mercurii nusquam, passim de praesidio ab eo hominibus iter facientibus contra pericula donato sermo est. Conferantur praeter ceteros vv. 334—339:

Ἑρμεία· σοὶ γάρ τε μάλιστά γε φίλτατόν ἐστιν
ἀνδρὶ ἑταιρίσσαι, καί τ' ἔκλυες ᾧ κ' ἐθέλῃσθα
βάσκ' ἴθι καὶ Πρίαμον κοίλας ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν
ὣς ἄγαγ', ὡς μήτ' ἄρ τις ἴδῃ μήτ' ἄρ τε νοήσῃ

τῶν ἄλλων Δαναῶν, πρὶν Πηλειωνάδ' ἱκέσθαι·
Ὣς ἔφατ'· οὐδ' ἀπίθησε διάκτορος Ἀργειφόντης.
Cf. etiam vv. 343—344, 368—371, 375, 445 sqq.

Quae cum ita se habeant, tantum abest, ut stropha ferri nequeat (Lehrs.: sie ist ganz unmöglich), ut imaginem Mercurii oblatam insigni ratione pleniorem reddendo in carmen egregie quadret.

b) De nonnullis lacunis a Lehrsio statutis.

Carm. I,9.
Vides ut alta —

Redeat hoc loco dissertatio ad carmen, de quo tertiam stropham contra Lehrsium defendentes iam supra disputavimus. „Die dritte Strophe, ait L., hat eine richtige verdrängt, die folgenden Inhalt hatte. Was stehst du? lass dir sagen (man denke sich einen beliebigen Anfang wie audi monentem, ne mora sit u. s. w.) lass auch draussen die Natur selbst dich erinnern, wie auch die schöne Zeit des Menschenlebens, die Jugend nicht besteht und vom Winter überkommen wird" (l. c. p. 43).

Stropham talis argumenti ad sanum sententiarum nexum efficiendum non requiri iam antea tecte demonstravimus, cum eum nexum, qui adsit, satis aptum esse ostenderimus; eiusmodi comparatio inter rerum naturam vitamque humanam institui potuit, non debuit. Quamquam autem, quae Lehrsius in carmine desiderat ac periisse conicit, plane supervacanea sunt, attamen criticus eo progreditur, ut, qualem strophae secundae ad quartam excogitaverit, transitum prorsus necessarium esse contendat, ad quod quidem demonstrandum satis apta iustaque sibi videtur attulisse haec argumenta: „Mir hat, inquit, ein Uebergang der Art stets nöthig ge-

schienen. Ohne den Anlass, dass der Jüngling sich nicht schnell genug entfernt, ist es auffallend, dass Horaz sich gerade an den Jüngling und so nachdrücklich sich mit seinen Lehren wendet, von welchem man doch der Natur gemäss voraussetzen darf — ich möchte fast sagen auch dem Namen gemäss, den er ihm gegeben — dass er zu den schönen Dingen von selbst sehr geneigt ist".

Quae paucis infringamus. Ac nobis quidem rem ab Horatii poetica fingendi ratione alienam videtur statuere, qui praeceptorum, quibus ille iuvenem aliquem ad vitam fruendam movere studeat, sic explicandam esse censet occasionem vel causam (L.: „Anlass"), ut a poeta fingi contendat iuvenem, qui ipsius (poetae) hortatu „non satis celeriter prompteque vehementissimae hiemis tempore ad ligna in foco reponenda vinumque promendum discedat" (L.: „sich entfernt"). Exile enim ac prorsus mirum esset hoc fingendi genus. Sed etiamsi eiusmodi iuvenem „cunctantem" (L.: „der sich nicht schnell genug entfernt") Horatio in carmine componendo obversatum esse concederemus, ne tum quidem stropham, qualem L. periisse putat, necessariam duceremus, cum eiusmodi cunctatio diserte a poeta indicaretur necesse non esset.

Si L. argumentum supra allatum, „denn ohne den Anlass, dass der Jüngling sich nicht schnell genug entfernt" . . . . . . — est quidem hoc argumentum non satis clare prolatum — fortasse ita acceptum vult, Thaliarchum ob eam causam a poeta studiose ad vitam fruendam admoneri, quod hic iuvenis cogitandus sit natura morosus ac tristis, ad rem suam probandam non plus proficit. Nam sive revera morosus extitit iuvenis, ad quem quidem carmen poeta convertit, sive eiusmodi iuvenis ab Horatio plane fictus est, tali ratione, quali L. novae strophae argumento fingendo exprimere conatur, Horatius nequaquam morositatem eius seu tristitiam in carmine diserte indicare debuit. At Lehrsius, nisi Thaliarchi iuvenis illa, quam vult criticus adsit „cunctatio" („denn ohne den Anlass, dass der Jüngling

sich nicht schnell genug entfernt" . . . .), non satis intellegit, „cur Horatius iuvenilis aetatis hominem tam diligenter ad vitam fruendam adhortetur". Causa haec nobis non difficilis ad cognoscendum probandumque videtur. Qua quidem in re quaeritur, qualis iuvenis Thaliarchus, utrum tristis accipiendus sit, necne. Per carminis argumentum licet eum tristem fingere; qualis si cogitatur, profecto praeceptis hilaritatis eget; sed ne ulla quidem adest difficultas intellegendorum praeceptorum Horatii Epicureorum, quae in carminis strophis tribus posterioribus dantur, si in medio relinquitur, quali animi indole cogitandus sit. Etenim profecto nihil minus mirandum est, quam Epicureos poetas iam per doctrinam ipsorum, nulla alia causa oblata, ad vitae voluptates percipiendas adhortari iuvenes, etsi hi, ut L. obicit, iam natura ad res illas iucundissimas maxime inclinant. An forte senes vel anus poetae ad voluptates percipiendas sunt invitandi? Audiatur Horatius ipse: „nec dulces amores | Sperne puer neque tu choreas" | Donec virenti canities abest | Morosa (vv. 15—17).

Quin etiam nihil obstat, quominus Horatius praecepta illa vitae fruendae ad iuvenes convertisse dicatur, qui ipsi parabant seu instituturi erant convivia, comisationes, amores, talia. Nonne enim tum vel maxime inter nos adhortamur ad curas pellendas, ad vitam fruendam, cum plane securi poculis dediti sumus? Quo solutiore et hilariore sumus animo, eo libentius cantamus vel alios cantantes audimus: „Weg mit den Grillen und Sorgen" cet.

Quae cum ita sint, nequaquam mirandam est, ab Horatio studiosissime iuvenem aliquem ad vitam fruendam admoneri, nec opus est praeceptis illis Epicureis, quae in carminis tribus strophis posterioribus leguntur, fundamentum subicere seu causam praemittere addenda „stropha apta", qualem Lohrsius proponit canendo „audi monentem" . . . . . .

I,21.
„Dianam tenerae" —

„Muss doch jedenfalls am Schlusse einer Strophe beraubt sein über Diana". (L. l. c. p. 54).

Fatendum quidem, optime stropham talis argumenti a poeta addi potuisse ac paene desiderari, sed prorsus necessariam esse eam dicere non licet. Jam Bentleius, „ne Diana antecedentibus strophis supervacuis precibus sollicitaretur" scribendum proposuit „haec" pro „hic", quod priore loco quartae strophae legitur, quamquam illud contra omnium codicum auctoritatem in contextum recipere non ausus est. Nec nostra quidem opinione est, quod cum Lehrsio tantopere offendatur. Qui enim tam severe iudicat, ei etiam mirandum est, quod poeta Latonam, quam in prima stropha praedicari iubet, sequentibus strophis silentio transeat. Dicendum autem est, Horatium satis duxisse vaticinari, Apollinem solum mala a populo Romano propulsaturum esse. Hic enim, qui deus est averruncus κατ᾽ ἐξοχήν, ὁ θεὸς ὁ ἀλεξίκακος, ὁ ἀποτροπαῖος, qualis saepissime apud poetas veteres occurrit, bene hoc loco dicitur exaudire preces puerorum innocentiam puellarumque integrarum hisque commotus Romanorum salutem servare et augere. Nequaquam autem cum Bentleio preces, quibus virgines Dianam adeant, supervacaneas significare licet, cum pia ac sincera veneratio Dianae (etiam Latonae) simul Apollini fratri filioque maxime placeat eumque eo magis moveat, ut propitius et clemens Romanos precantes respiciat*). Ritterus**) difficultatem expedire conatur monendo haec: „Quod Apollo vult, Diana non prohibet, immo iuvat, quandoquidem eadem vis in utroque numine. Hinc in clausula poematis de uno Apolline loquitur,

*) Cf. Peerlkamp. l. c. p. 101.
**) Cf. l. c. p. 86.

quod huius in averruncandis malis praecipuae partes erant“. Quibuscum viris nos quoque inaequalitatem carminis, in qua L. offendit, non malo poematis fata, sed Horatio ipsi tribuendam censemus.

I,32.
„Poscimur. Si quid“ —

In carmine hoc tractando L. cum alia tum haec monet: „Es ist nur die Einleitung (von einem grössern Gedicht) vorhanden. In wie fern man diese Strophen für etwas Anderes halten kann als für eine blosse Einleitung, bleibt mir ganz verborgen“ (l. c. p. 62.).

Est profecto propria huius poematis indoles ad perspiciendum difficillima, unde fit, ut interpretes in illa accipienda singulisque locis explicandis vehementissime inter se dissentiant.

Plerique in se esse conclusum rotundumque carmen arbitrantur, nec aliud quidem esse putant, nisi illud, quod poeta a lyra petendo ipse profiteatur cum canat: Age dic Latinum carmen (v. 3—4). Itaque Dillenburger, ut exemplo utamur, in argumento illustrando adnotat, „ceterum hoc suave (?) esse, quod Horatius, dum videatur parare tantum carmen, elegantissimum iam confecerit“. At vero explicatio haec deque carminis ambitu sententia non videtur nobis carere offensione. Nam recte obicitur, poetam, si tam breve tamque parvum poema pronuntiet sollemnibus gravibusque verbis „age dic Latinum carmen“, ‘quo promissa cadant’, levem curam gerere. Argumentum enim, quod tribus prioribus carminis promissi strophis subest, sic possis complecti: „Dic, barbite, carmen Latinum, qui primum ab Alcaeo, viro fortissimo, vini amorisque laudatore modulatus

es*). (cf. str. I—III.) Num hoc argumentum, quod sola est allocutio, aliquatenus illud „carmen Latinum“ efficit? Minime. Num forte in quarta stropha hoc sequitur? Ne hoc quidem; alloquendo enim addit poeta lyrae breves quasdam laudes, quas praeterea vix quisquam lyram de se ipsa dicentem facere audeat eamque precatur, ne unquam ipsius salutationem piam aspernetur. Quare tantum abest, ut carmen, quale professus sit Horatius, legisse nobis videamur, ut exspectemus ac desideremus, praesertim cum poetam etiam initio dicentem, se „posci“ et sollemni formula in precationibus usitata „si“ (quid vacui . . . .) usum, magna et gravia profiteri statuendum sit.

Quas difficultates offensionesque carminis explicandi rationi modo significatae inhaerentes cum sentiant, alii interpretes poema in se non esse conclusum absolutumque censent, sed praeludium quoddam, quod Horatius carmen aliquod altioris graviorisque argumenti („carmen Latinum“) cantaturus composuerit. Sed ne haec quidem opinio nobis satis probatur. Levioris quidem momenti est, quod magnum illud carmen Latinum, cui hoc praelusum sit, pro certo quidem afferri nequit. Si autem revera eiusmodi ratio, quam statuunt, inter carmina fuisset, haud dubitamus, quin futurum fuerit, ut in hoc „praeludio“ seu „prooemio“ ab Horatio multa aliter prolata essent. Non enim satis liquet, cur Horatius, si ei gravem materiam tractare in animo fuerit, simpliciter dicat: „Carmen Latinum“, non quidem hoc aliquatenus definiens seu illustrans, cur de ipso Alcaeo poeta vinum amoremque, res leves, laudante (cf. str. III.), cur in stropha ultima, si certa occasio sit obversata, de hac tacens dicendi genere tam generali incertoque utatur „mihi cunque salve | Rite vocanti“.

*) Fortasse verbum „modulari“ Horatius sensu activo („ertönen lassen“) aeque ac „dicere“ adhibuit, cum per totum carmen lyram tamquam deam alloquatur; quod si tenetur, supplendum quidem est „carmen“, quod e verbis antecedentibus „Latinum carmen“ haud ita difficile auditur.

Explicationum commemoratarum neutra, ut videtur, contentus praeter alios Lehrsius etiam aliam viam rationemque temptavit. Putat enim, ut supra significavimus, poema, quale habeamus, fragmentum esse idque exordium maioris cuiusdam carminis, quod quidem magna ex parte perierit, illustratque (l. c. p. 52) argumentum, quale fere fuisse sibi fingit „totius carminis“.

Antequam autem ad hanc poematis tractandi rationem arbitrariam, a qua quidem dissentimus, examinandam aggrediamur, primum, ut disputationi firmius fundamentum subiciamus, nostram de carminis indole sententiam*) in medium proferre liceat. Atque de hac diligenter meditati viam explicandi nobis videmur ingredi optimam inquirendo, qua causa vel occasione Horatius ad carmen condendum motus sit. Coniciendo autem statuimus haec: Ad componendum hoc carmen, quod in numero primorum, quae composuit, habendum est, Horatius adductus est, cum imprimis Alcaeum imitari sibi proposuisset, et hoc ipsum consilium, uti e nonnullis locis videre licet, carmine illo breviter significat, tecte pronuntiat modesteque profitetur.

Ad magnum igitur consilium Alcaei imitandi aggrediendum ipsius ingenio excitatus, fortasse etiam ab amicis consilii eius peritis admonitus, barbitum graviter alloquitur: „Poscimur“. Deinde sequuntur versus (1—12), e quibus carminis natura a nobis antea significata haud difficile eruitur. Pergit enim poeta: „Si quid iam, barbite, composui, quod aliquanti pretii est, age dic carmina Latina, qualia, olim ab Alcaeo modulatus, poetae illi vini amorisque laudes dicenti edidisti“. Quam sententiam e tribus strophis prioribus haud difficile excuties. Nam primum statui licet, „Latinum carmen“ (v. 3.) non significare carmen unum, sed sensu quodam collectivo seu generali dictum esse, ut sit: 'das 'lateinische Lied'. Dubium enim non est, quin numerus sin-

*) ad quam reperiendam adducti sumus haud minime legendo excursu Orellii l. c. p. 171.

gularis substantivi „carmen" ita adhiberi possit, cum saepius illo sensu ab Horatio usitatus occurrat*), et hoc loco eo facilius adhiberi potuit, cum „Latinum carmen" quodammodo opponatur carmini Aeolio Alcaei (str. 2.), quod quidem tertia stropha poeta accuratius describit.

Jam vero si Horatius ab illo ipso barbito petit carmina Latina, quo olim Alcaeus carmina sua *συμποτικά* et *ἐρωτικά* cantaverit, nonne huius ipsius poetae vestigia premere eiusque carmina ad modos Latinos deducere sibi in animo esse satis clare profitetur?

Apte confertur hoc loco Hor. epist. 1, 19, 32:

„Hunc (scil. Alcaeum) ego, non alio dictum prius ore, Latinus
Volgavi fidicen",

ubi quodammodo contigisse Horatio legimus, quod carmine, de quo agitur, nobis moliri et appetere videtur.

Denique etiam quartae strophae argumentum, si conexus sententiarum spectatur, planum esse et ad nostram carminis explicationem optime quadrare, non est quod amplius exponamus.

Satis igitur nobis videmur respondisse Lehrsio notanti: „wie man diese Strophen für etwas Anderes halten kann als für eine blosse Einleitung, bleibt mir ganz verborgen."

Immo negare non dubitamus, carmen locum prooemii, quale statuit Lehrsius (cf. l. c. p. 62), tenere posse. Primum enim intellegi nequit, cur poeta, quem dicendi brevitatis

---

*) Cf. carm. 3, 30, 12 sq.:
. . . . ex humili potens
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos.
Carm. 4, 6, 30 sq.:
Spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem
Carminis nomenque dedit poetae.
Epod. 14, 6 sq :
Deus deus nam me vetat
Inceptos, olim promissum carmen, iambos
Ad umbilicum adducere.

amantissimum esse constát, postquam iam quattuor strophas composuerit, rei proprie tractandae nondum mentionem fecerit; deinde prorsus mirum est, cur in ipsa lyra invocanda et celebranda tam multus longusque sit; post primam stropham iam ad rem propositam transgredi debuit. Quid enim sibi volunt, „qualia sunt „Lesbius civis, a quo barbitus primum modulatus est, qui ferox bello tamen inter arma sive iactatam religarat udo litore navim, Liberum, Cupidinem cet. canebat“, quid „Lycus nigris oculis nigroque crine decorus?“ Prorus denique Lehrsi opinioni adversari perspicuum est argumentum strophae quartae, cum hac stropha optime hymnus ad lyram concludatur et absolvatur.

Jam vero via ratioque critica, qua L. poema alius fragmentum esse conatur ostendere, neutiquam nobis probatur. Ad opinionem enim hanc confirmandam criticus, postquam, nullo argumento allato, summam sententiam „integri“, quod vult, carminis coniciendo posuit, quae ad hanc non quadrant, praefracte damnata eicit. Pro „Latinum“ (v. 3.) ad libidinem substituit „amoenum“, quartam autem stropham tamquam subditiciam delet monendo: „Alles, was Horaz dem Barbiton zu sagen hat, ist in den drei ersten Strophen erschöpfend, treffend für den Fall (?) und geistreich gesagt. Ein neuer und obenein — wie soll ich sagen — viel allgemeiner und salopper (?!) gehaltener Anruf scheint nicht zu erwarten.“

Nescimus quo iure criticus Horatio praecipiat, quid hic lyrae dicere debuerit. Ceterum non liquet, ubinam ea, quae quarta stropha, ac satis quidem eleganter, dicantur, iam antea prolata sint.

Denique locutiones quaedam strophae, in quibus Lehrsius offendit, „cumque“ et „mihi salve“, non tantum offensionis habere videntur, ut cautum prudentemque criticum adigere possint ad totam stropham delendam. Sane quidem „cumque“, quod vera est crux criticorum et fortasse semper manebit, multi, quantum videmus, optimo iure vituperarunt emendationibusque, quarum quidem nullam sine ulla dubitatione amplecti audeas, tollendum censuere. Sed incaute inde

eliciunt indicium, totam stropham esse subditiciam. Si locutio illa non est Horatiana, non interpolatori fraudanti, sed scribae neglegenti assignaudam eam esse censemus.

„Mihi salve“ autem plurimi quidem interpretes illustrant adnotando: „Propitia seu benigna mihi adsis“. Sed rectius accuratiusque nobis videtur illud explicari: Accipe piam salutationem venerationemque meam.

Carminis igitur tractandi finem facientes, etsi propiam eius indolem difficillimam ad perspiciendum esse concedimus, tameu conformationem talem esse negamus, e qua pro fragmento carmen habendum esse colligi liceat.

3. De totis quibusdam carminibus a Lehrsio deletis.

I,30.

„O Venus regina“ —

Carmen non esse Horatianum L. hisce argumentis conatur demonstrare: „Venus, inquit, mit allen jugendlichen Göttern, eingeschlossen Mercur, der das Mädchen auch besuchen soll, begib dich in das Haus der Glycera, welche dich mit vielem Weihrauch herbeiruft. Punctum“. (l. c. p. 59—60.)

Etsi carmen esse brevissimum Lehrsio concedi potest, — qua quidem re scribendo illud „Punctum“ criticus videtur maxime offendi — attamen quo iure Horatium eius auctorem non esse inde colligatur, perspici non licet. Per se quidem patet, brevitatem alicuius carminis ad indolem genuinam diiudicandam nihil valere, dummodo in argumento eius conspiciatur integrum sanumque consilium, quod poeta persecutus sit, vel, si hoc non iam clare certoque cognoscatur, saltem posse inesse conici liceat. Consilium autem huic poemati subiectum, quod ab Horatio quidem non diserte indicatur, diversa ratione potest illustrari:

Fortasse poeta — quoniam ab eo mature carmen conditum esse potest — nihil aliud spectavit, quam ut imitaretur *ὕμνον* vel *ᾀσμάτιον κλητικόν*, qualia multa composuerunt poetae Graeci; conferatur fragmentum Alcmanis:

Κύπρον ἱμερτὰν λιποῦσα καὶ Πάφον περιῤῥύταν (cf. Orell. l. c.).

Potest quoque sub „Glycera“ latere certa puella, cui se benevolum esse iocose poeta indicat eo, quod precatur, ut

omnia illa numina, quae puellas reddunt amabiles, domum eius adeant ibique habitent.

Nec quidquam obstat, quominus poematis argumentum hoc modo illustretur: Horatius, Glycerae amicae incensus amore, ludendo iocandoque, cum hanc fortasse aditurus esset, numina invocavit, quae amantibus summas congressionis et consuetudinis delicias donare et augere possunt. Invocatur igitur imprimis Venus, quae universam dat amabilitatem amatoriamque affert voluptatem; quam, cum Glycera, uti e carmine videre licet, ei sacra faciat, poeta quodammodo precibus adit; invocatur Cupido „fervidus puer", qui vehementem amoris sensum in animis accendit, Iuventas, quae liberam hilaritatem excitat, Mercurius, qui homines facit facundos et affabiles*), invocantur Gratiae Nymphaeque, quae saltationi cet. praesunt.

Carminis huic illustrationi a nobis excogitatae aliquo modo similem legimus Wunderi, quam vid. ann. nov. philol. tom. 99. p. 849.

Quae cum ita sint, non esse videmus, quod cum Lehrsio carmen deleamus.

I,34.
„Parcus deorum" —

Ostendere studet Lehrsius, singulas huius poematis partes aperte et mirifice inter se repugnare. (cf. l. c. p. 64.)

Ein Mann, inquit, der sich geheilt von der Epicureischen Philosophie bekennt, der schliesst damit, die Fortuna zu feiern, welche in der Epicureischen Philosophie bekanntlich Alles ist?

Quae difficultas satis facile superatur. Nam Fortunam poeta in extremo carmine nequaquam laudando talem pro-

*) Aliter rem accipit Kellerus (cf. mus. Rhen. XIX. 1864 p. 211): „Und bei einer Hetäre gewöhnlicher Sinnesart darf doch unter allen Göttern der des Geldbeutels am wenigsten fehlen."

ponit, qualem finxerunt ac celebrarunt Epicurei. Quam potius contra horum doctrinam dependentem inducit a deo maximo potentissimoque, cuius tamquam ministra consilia et decreta exsequenda perficiendaque curet (cf. V. 12 sq.):

. . . . . . Valet ima summis
Mutare et insignem attenuat deus
Obscura promens: hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hic posuisse gaudet."

At vero, ut Lehrsi offensio aliquo modo iusta sit, Horatius Fortunam afferre debuit plane arbitrariam, non dei numini ac providentiae subditam; quod cum poeta nostro quidem iudicio non faciat, ne haec quidem ullius momenti est Lehrsi vituperatio: „Ein Mann, der nunmehr zum festen und religiösen Glauben an die Götter gekommen ist, an Jupiter obenan, der verehrt nicht die absichtsvollen, vorsehungsvollen Pläne des Jupiter, sondern seine durch die Fortuna repräsentirte Willkürmacht?" Repraesentatur quidem Jovis potentia providentiaque a Fortuna, sed hac ipsa re in illo tenore conexuque, qui a poeta instituitur, omne arbitrium „Fortunae gubernantis" plane excluditur.

Pergit Lehrsius: „Ein Mann, der an Jupiter glaubte und an einen Wagen des Jupiter, durch dessen Fahren er Alles bis in die Unterwelt erschüttert, der nennt sich ungläubig bisher und nun erst gläubig geworden, da Jupiter mit diesem Wagen auch einmal über den klaren Himmel, anstatt wie er sonst glaubte (?), nur über den wolkigen gefahren ist?"

Sane quidem Horatius, si hasce sententias a critico ei tributas protulisset, miram in se admisisset rerum confusionem. Sed L. illa carminis illustratione sententias affert inter se repugnantes, quas in poetae verbis nos quidem non deprehendimus. Ac primum quidem in duabus illis sententiis „ein Mann der . . . . . glaubte" . . . . et „der nennt sich ungläubig bisher" nullam inesse offensionem fatebitur, qui-

cunque animo perpenderit, venerationem et opinionem (Glaube) priore sententia „ein Mann der . . . . . glaubte“ . . . . . statutam referendum esse ad tempus, quod prodigium a poeta descriptum secutum sit, opinionem posterioris sententiae verbo „ungläubig“ negatam pertinere ad tempus, quod huic prodigio antecesserit. Nempe Horatius ipso prodigio commotus ad opinionem de Jove confitendam numenque venerandum reductus est, cum antea „insanientem sapientiam“ (Epicureorum) secutus deos non satis coluerit. Nos quidem in hac rerum oppositione, qualis in carmine occurrit, quaenam insit contradictio, plane fugit. Sane etiam ante prodigium L. poetam statuit illam de Jove curru vehenti cet. opinionem sibi fuisse dicere, quod quidem criticus videtur colligere ex Horati verbis „namque (Diespiter) igni corrusco nubila dividens plerumque“. Ac profecto poeta Epicureus non fuisset, si talia credidisset. At vero, qualiscunque poetae de Jove opinio fuit, hoc constare censemus, nihil ad hanc, qualis ante quidem prodigium fuerit, definiendam ex illis poetae verbis eliciendum esse. Quibus Horatius non significat, se Jovem vehi ante prodigium credidisse, sed, prodigio demum facto, deum hoc facere ponit (setzt voraus); nec quidquam obstat, quominus, postquam Jovem tonantem prodigio quidem commotus agnoverit, eodem modo, quo omnes Romani talem Jovem agnoscentes, de hoc deo loquatur. Jam vero ex iis, quae de priore parte rationis, qua L. illustrat carmen, disputavimus, satis apparet, quid sentiendum sit de posteriore, in qua legitur „und (nennt) sich nun erst gläubig geworden . . . . anstatt wie er sonst glaubte (?), nur über den wolkigen gefahren ist.“


Restat, ut aliam Lehrsi infringamus vituperationem:


„Uebrigens, inquit, auch als Epicureer warum ist er um so viel dümmer geworden und aus vernünftigem Epicureer ein unvernünftiger, — als damals, da er bei einer ihm unerklärlichen Naturerscheinung sagte: namque deos didici securum agere aevum, nec si quid miri faciat natura deos id tristes ex alto coeli demittere tecto: Satir. 1, 5, 103.

At nobis videtur facillime explicari posse, cur haec dicendi agendique ratio in satira occurrens differat ab illa, quae in carmine deprehenditur. Non dicimus, poetam non posse non vehementius commoveri tonitru tam atroci violentoque, quale quidem describitur, de caelo sereno audito, quam in iucundo itinere cum amicis suscepto a „Gnatia persuadere cupiente sine flamma tura liquescere in limine sacro“*); non in memoriam revocamus, Horatio, satirarum scriptori res miras saepe plane aliter accipiendas esse quam Horatio poetae lyrico: hoc potissimum monemus, ad carminum sententias recte integreque existimandas in comparandis carminum locis, qui ad Horati de deorum natura opinionem spectent, diligentissime cavendum esse, ne haec opinio finibus angustioribus circumscribatur. Quam cum multi poetae nequaquam sibi constantes ex arbitrio mutare solent, tum Horatius, qui ipse „se nullius addictum iurare in verba magistri“**), clare professus est, in iis, quae de deorum natura cultuque et rebus divinis passim affert, liberrime nec raro prorsus contrarie versatur. Eodem quidem iure, quo ex satirae illius loco comparato a Lehrsio colligitur, carmen, de quo egimus, subditicium esse, contendi potest, omnes strophas carminum, quibus Horatius deos invocet (v. c. carm. I, 2), ab hoc abiudicandas esse, cum eiusmodi invocatio ab Epicureis deos rerum humanarum curam gerere negantibus prorsus aliena sit; omnes autem critici certe sibi esse censent, quod eiusmodi conclusionem aspernentur.

*) Cf. satir. 1, 5, 99 sq.
**) Cf. epist. 1, 1, 14 sq.

Numerum carminum Horatianorum, in quibus rationem criticam a Lehrsio adhibitam illustremus et examinemus, hoc loco augere in animo non est. Finem igitur dissertationis facturi exspectamus atque speramus, fore ut iis qui legerint omnia sine ira et studio videamur disputasse: „Verum enim invenire voluimus, non tamquam adversarium aliquem convincere.“






Lh 9.598
Horatiana, seu Critica ratio,
Widener Library 006774939
3 2044 085 204 550